

1. Alberti / Valent: / diff. de
munificentia Divina in
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij / Dan: / ~~diff. fustentem~~
theses theologice de Quæstio-
nibus a liquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunnij / Azid: / proposi-
tiones theologice de eter-
na predestinatione Filio-
rum Dei ad salutem,
francofurti, 1594.



99A 6909

4



AVSPICIIS SUMMAE TRI-
NITATIS.

DE SUMMO
BONO,

Quod nobis in humana societate
obtingere natum est:

*Diuinam Aristotelis doctrinam, in 1. Eth. ad
Nicomachum explicatam,*

SUB PRAESIDIO
M. HENNINGI ARENTSEHE
pro ingenij viribus defendendam
suscipiet

*In Iulij Iulia
die 10. Decemb.*

IACOBVS VVEISE VVernigerod.

HELMMAESTADII
Typis Iacobi Lucij. Anno

CID. IDC.





NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
PRUDENTISSIMO, ET HEROICA
virtute atq; sapientia præstantissimo
viro

DOMINO
STATIO à MÜNCHHAUSEN
hæreditario in Leitzkau, Dornburg,
Beuern, Satrapæ in
Grone.

*Domino, Mæcenati, & Promotori
suo colendo.*

Has de summo bono Theses
Submissè
dedicat

*Jacobus VVeisen
Respondens.*





DE SUMMO BONO.

Thesis I.

Ordinis naturam rectè explicavit Zabara hac definitione, quod sit habitus instrumentalis, per quem apti sumus cuiusq; disciplinae partes ita disponere, ut quantum fieri possit, optimè & facilimè illa disciplina discatur.

2. Cum enim ob nostram cognitionem inuentus sit ordo, meritò ex nostra cognitione eius regula & norma desumitur, sicut Aristoteles tum conceptis verbis docet 1. Eth. ad Nic. c. 4. 5. Metaph. c. 1. 1. de hist. an. c. 6. & 2. de par. an. c. 10. tum ipse suo exemplo probat, seriem naturæ saepe derelinquens, ordinemq; ad nostrum cognoscendi modum accommodans.

3. Modus autem cognoscendi duplex est, confusus & distinctus, qui posterior tum locum habet, cum res cognoscenda distinctè & perfectè cognosci nequit, nisi aliqua, ad eius notitiam, sine illarione tamen, scientia præmittantur. Vnde & hic modus cognoscendi in ordine obseruandus est.

4. Sed quia modus cognoscendi in Theorica & Practica Philosophia idem non est, procul dubio in Methodo, nostrâ cognitione mensurata eadem diuersitas inerit.

5. In scientiis enim quæ cognitionis gratia sunt, affectiones de suo subiecto demonstrantur per principia, quæ quia notiora debent esse affectionibus demonstratis 1. post. 1. 15. necessariò prius traduntur: In disciplinis autem practicis & artibus, quæ ad finem producendum ordinantur, quia media ad finem ducentia, ex fine præcognito eliciuntur, ita ut finis quandam principij rationem obtineat, merito finis etiam in frontispicio disciplinarum explicatur: Ex quo duplex ordo enascitur, unus compositiuus, qui ex principijs primis procedit, solis

scientiis proprius: alter resolutiuus, qui ab ultimo fine auspiciatur, quo Medicina à Galeno, in l. de art. Med. const. Auerroë & Auicenna tradita est.

6. Eodem ordine resolutiuo tradita est disciplina Moralis ad Nic. quæ non speculationis sed operationis gratia addiscitur, ideoq; finem quem discenti pollicetur, habet præter speculationem, qua de causa ab eodem initium sumere debuit.

7. Cum enim varia de hoc fine sint opiniones, alijs aliud approbantibus necessum fuit, Aristotelem verum finem primùm demonstrare, priusquam viam, qua ad finem iretur, inquireret, ne peccaret perinde, ut, qui me viam Brunsvigam ducentem docere vellet, ipse tamen urbis situm ignoraret.

Cap. 1.

8. Dari autem in moribus seu actionibus humanis ad honestatem directis finem ex inductione patet, siquidem in omnibus artibus & doctrinis, siue speculatiuæ illæ sint siue practicæ, finis quidam occurrit, qui rationem boni habet. Nam electio nostra & omnis operatio ob bonum aliquod, vel reuera tale vel ad apparentiam suscipitur, quo acquisito acquiescit.

9. Vnde & antiqui rectè definierunt bonum, quod omnia appetunt. Nam bonum appetitus obiectum est, in quod tanquam in suam perfectionem fertur, statim atq; bonum à iudicatrice facultate iudicatum est, quæ, quia errare potest, sæpè irritat appetitum ad insequendum, quod malum est, ex iudicio tamen facultatis directricis bonum oblatum fuit.

10. Videtur etiam appetitus malum appetere, ut grauius malum effugiat, aut propter bonum finem sæpe mala media exoptet, quæ tamen omnia rationem boni habent: hæc, quia media suam bonitatem vel malitiam à fine habent: illa, quia minus malum respectu maioris mali habet rationem boni, quia quantum à summo mali gradu desciscit, tantum ad bonitatem inclinat.

11. Sæpe quoq; in incontinentibus euenit, ut quod ratio iudicat esse malum, nihilominus appetatur, cuius causa est in diuersitate
appe-

appetitus. Cum enim appetitus sensitivus rationi obtemperare nondum didicerit, in suum obiectum, quod phantasia indicat bonum, nequicquam resupinante illum ratione, praeceps ruit.

12. Finium vero vel bonorum non est eadem dignitas, quoniam, qui ad alium refertur finem, eo, ad quem refertur, semper est ignobilior, & nobilissimus est ultimus, in quem ceteri desinunt, sicut equestris finis praestantior est sine artis conficiendorum frenorum, cum hic illi subordinetur.

13. Pari modo & in morali disciplina ad ultimum & summum Ca. 2. finem deveniri necesse est. qui sit nobilissimus. Alias enim appetitus noster abiret in infinitum, & quia infinitum pertransiri nequit, tandem post longas appetitiones deficeret & esset frustra.

14. Quisnam igitur sit ille supremus finis, & τὸ πρῶτον, id est, confusè hic exquirere, precipuum opus est. Distinctam enim eius explicationem nemo sibi promittere audeat, priusquam omnes cognoverit virtutes, ex quarum actionibus coniunctim sumtis boni summi essentiam conflare & exurgere infra docebit Aristoteles.

15. Est autem huius, id est, civilis facultatis, de summo bono speculari, quæ se habet ad alios vitæ modos, ut architectura ad sibi subordinatas artes: nimirum generaliter præcipit, quomodo quisq; in humana societate versari debeat, & fundamenta legum explanat.

16. Illud ut sufficienter faciat, non indiget demonstratione, solis Ca. 3. scientijs & rebus perpetuis invariabilibus propria, sed satis est, si instrumentum rerum nature applicetur, & cum res Ethicae sint mutabiles & perpetuo circumstantijs rem variantibus obnoxia, quam ob rem in definitione virtutum semper additur, quando, ubi & quomodo decet, ut ille probabilibus rationibus confirmetur, sufficit, cum impossibile sit potissimam demonstrationem rebus cuius vicissitudini subiectis adhibere. Tam enim ridiculum est à Mathematico persuasorias orationes exigere, quam ab oratore demonstrationem nudam, aut ab Ethico tale argumentandi genus, quod ex rebus perpetuò necessarijs procedat.

17. Inde sequitur, cum particulare circumstantiarum iudicium in Ethicis semper adhiberi sit necessum, iuuenem, qui in vita communi non admodum versatus sit, non posse commodum huius disciplinae auditorem esse: cui accedit, quod perturbationes nimium astuantes nondum frenauerit, aut ad nutum rationis assuefecerit. Iuuenem autem dico, non quem aetas, sed insipientia virum esse negat.

18. His ita praemissis, quae generaliter tradere Logici est: Ethici autem ad suas materias applicare, cum Logica ad particulares res nequeat descendere, ne vniuersalitatem suam perdat, ut docet Auer. in praefat. Post. nunc ad institutum reuertemur, à quaestione Quod sit, ad quaestionem Quid sit progressuri.

19. Conueniunt omnes etiam ex triuio, in eo, quod supremus agendarum rerum finis sit felicitas, quodq; bene viuere, bene agere & felicem esse in idem coincidunt. Cum enim hic vitam intelligamus, non quae in Physicis definitur, sed modum gerendi se in societate humana, non potest fieri, quin qui bene viuit, bene etiam agat, siquidem vita haec per actionem definiatur.

20. In distincta autem summi boni definitione seu essentia aliter sapientes, aliter vulgus iudicant, dum plebey, ea quae in pro patulosunt, ut diuitias, honorem, voluptatem, adorant: sapientes autem paulo altius suum bonum reperunt: saepe etiam vnus idemq; à seipso diuerso tempore dissentit.

21. Nam qui aegrotat, sanitatem, qui pauper est, diuitias, qui nihil scit, summam sapientiam admiratur, adeoq; alter ab altero dissidet, ut omnium opiniones excutere impossibile sit, forte etiam abs re: maximè autem utile eas examinare, quibus praeceteris ratio fauere videtur.

22. Quod dum molimur subrepat dubitatio, quae & sollicitum habuit Platonem, an nimirum à principijs ad principia, an contra procedendum sit. Enimuero semper à notis incipiendum est, quae cum duplicia sunt, aut nota nobis, aut simpliciter, quae nobis nota sunt, erunt praemittenda, explicandaq; ea primum, quibus auditor facile fidem habet,

habet, neq; δ' ἄλλο querit, ut sunt, quae magis confusa sunt, & ab
essentia summi boni aliquantulum distant.

23. Quocirca, ita affectum & in vita conuersatum oportet esse Cap. 5.
auditorem huius discipline, ut de traditis rectè iudicare & princi-
pijs acquiescere audeat, aut si per suam impotentiam non possit, au-
diat Hesiodum:

Οὐτ' ἔστι μὲν πῦρ ἀεικέλιον, ὅς αὐτὸς πάντα νοήσῃ,
φροσάδῃ τε καὶ ἔργῳ, ἅ ἐστιν ἄμεινον·
Ἐσθλὸς δ' αὖ καὶ κῆρ, ὅς εὖ εἰπὼν τιθήται·
Ὅς δ' ἐκε μὴτ' αὐτὸς νοήσῃ, μὴτ' ἄλλοι ἀκῆων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὅδ' αὖτ' ἀρχήν' ἀνῆρ.

24. Sed ad opiniones aliorum redimus, quae desumptae videntur ex
triplici genere vitae. Alij enim, cum appetitum non domuerint, ad
voluptatem corporis toti declinant: alij subegerunt quidem rationi
aliquo modo appetitum, non tamen omninò suffocarunt, qui vel di-
uitias, vel honores, vel virtutem pro summo bono accipiunt: alij de-
niq; in sublimi sapientia animum defodiunt, qui vel Ideas vel
ipsam speculationem pro ultimo fine habent, de quorum postremis in
fine dicetur.

25. Omnium absurdissima & seruilis planè opinio est eorum, qui
toti sunt in voluptate corporis, quia sic summa felicitas, quam debe-
bat homo sibi, tanquam peculiariter indultam, vendicare, ad bruta
demitteretur, & in corpore curando magis quam animo consisteret.

26. Honores verò supremum finem statuere est, aut summum bo-
num extra possessorem deriuare, quia honor non est in honorato,
sed honorante: aut immeritum saepe summo bono afficere, cum honor
sape, nihil minus, quam gloriam merito tribuatur, optimo autem
cuius denegetur. Quin etiam summum bonum non propter aliud
expetitur, sed unusquisq; vult se honorari, ut ex honore iudicetur
virtute praeditus.

27. Et licet saepe honor propter suspensionem virtutis expetatur,
non tamen virtus adhuc supremus finis est, quia, qui habitum vir-

tutis habet, potest non agere, itaq; sua virtute nec sibi nec alijs prodesse.

28. Quis verò ad diuitias tanquam summum & Colophonium finem se natum aestimet? cum illa vitam violentam faciant, & possessorem suum tantum non sibi surripiant: imò aut propter usum expetantur, aut nullius sint momenti.

C. 6. 29. Inter sapientum opiniones preponderat Platonis, cuius utpote preceptoris sui sententiam tanta cum modestia inseñtatur Aristoteles, ut nemo possit modestius, sibi tamen magis amicam ait esse veritatem.

30. Platonis opinio in Parmenide, Philebo, Timæo, 6. & 7. de Rep. explicata, & ab Aristotele 1. Metaph. c. 6. bona fide allegata est, quod nimirum Heracliti preceptis innutritus, omnia inferiora perenniter fluere crediderit, ideoq; ut seruarentur scientiæ, essentias rerum separatim introduxerit, quas vocauit Ideas, statuens eas ex Deo per mentem, quam in Phil. Dei filium vocat effluere.

31. Cum hoc Idearum grege, quia & Ideam boni confundebat, rectè impugnatur ab Aristotele, quod ipse Ideam non posuerit, in ijs rebus, quæ prius & posterius admittant, siquidem Idea sit res simplicissima, essentiam in indiuisibili & totam simul representans. Bonum autem recipit prius & posterius, quia & in substantia est, & alijs predicamentis, quæ substantiâ sunt posteriora.

32. Quin etiam, cum umbrae inferiores sint ipsius Ideæ participationes, bona autem inferiora, quæ omnibus predicamentis communia sunt, non habeant eandem essentiam, nequit etiam eorum communis Idea dari.

33. Nec effugit Plato, licet vnum bonorum genus tantum sumat, ut ea quæ maximè, scilicet per se, bona sunt. Nam hoc ipso implicat se contradictioni & nihil soluit. Si enim bona quedam sunt per se, non erunt bona propter Ideas, quia bona essent propter aliud non per se: aut si per Ideas bonitatem ea obtinere concedatur, Idea autem per se bo-

se bona sint, non erit legitima participatio, quippe, cum bona per aliud prodeant ex bonis per se. Sed neg^s soluit, quia etiam bona per se separatim sumta essentialiter differunt, nec in uniuoco genere conueniunt, ut albedo in niue & cerussa.

34. Quod si formaliter in sua essentia differunt bona, non traduntur etiam in una scientia, ut sanitas in Medicina, aliud bonum in alia arte, quod est contra thesin, quæ ponit unius Ideæ unam scientiam, siquidem numerus & constitutio scientiarum ex Ideis petitur.

35. Facile etiam videbit, qui Entia scit non esse multiplicanda præter necessitatē, Ideas frustra poni, cum nihil aliud sint, nisi ipsæ rerum essentia, quod & ipse Plato annuit, dum ideas expressurus, ipsum rei nominat. Neg^s refert, quod perpetua sint, quia album unius diei & album perpetuo essentialiter non differant.

36. Deniq^s ut maximè concedamus Ideas esse summum bonum, nihil tamen ad nostrum institutum facit, ubi tale bonum quærimus, quod in hac vita obtineri possit, quodq^s in societate humana consistat & per media in nostra facultate posita acquiri possit.

37. Illud summum bonum, cum sit finis ultimus, propter se ex-
petetur, & sibi ipsi sufficiens erit, ita ut ultra id neg^s possessor, neg^s
cognati & amici (non quidem quiuis, quia progressus fieret in infi-
nitum, sed ij, ad quos benevolentiam extendi virtus patitur) ali-
quid desiderari possint. C. 7.

38. Tum verò perfectissimus homo est cum agit, & tum maximè alijs & sibi prodest: sicut statuarius, cantor & alij artifices, imò ipsa etiam membra corporis ex operatione perfecta æstimantur.

39. Actiones autem hominis aliæ ipsi communes sunt cum plantis, aliæ cum brutis, in quibus summum bonum minimè collocatur: aliæ hominis propriæ quæ illud sibi vendicant, ita, ut summum bonum sit actio vel in ratione posita vel non sine ea.

40. Porro non quæuis actio beat hominem, sed quæ optima est, sicut cytharædum commendat non pulsare cytharam, sed benè pulsare: Optima autem est, quæ ex habitu proficiscitur, habitus verò est ipsa

A 5

virtus

virtus, unde patet summum bonum esse actionem secundum virtutem.

41. *Sed nec hoc sufficit, quia sicut una hirundo non facit ver, ita una actio non facit probum virum, sed necesse est actiones continuari per vitam perfectam. Quocirca vera definitio summi boni est: quod sit actio secundum virtutem in vita perfecta, ad quam omnes antiqui quodammodo collinearunt.*

C. 8. 42. *Nam consentiunt nobiscum, qui summum bonum dicunt consistere in bene agendo & viuendo, quiue illud inter animae bona collocant, nisi quod essentiam eius distinctè non exprimant.*

43. *Virtus item, quae ab alijs pro summo bono adoptatur, in nostra sententia includitur, cum actionis sit principium: sed per se non sufficit. Non enim qui fortis est, sed qui currit, in olympijs coronatur.*

44. *Voluptas etiam cum summo bono necessario concurrat, quia virtute praeditus suis actionibus gaudere debet, & cum gaudio amicis conuersari. Voluptatem intelligo, quae ex consensu appetitus sensitiui & intellectus resultat.*

45. *Externa demum bona, ut diuitiae, ciuilibus potentia, nobilitas, liberi, instrumenta sunt, quae felicitati subseruiant. Nam qui illis caruerit, non facile felicissimus iudicabitur.*

C. 9. 46. *Comparatur autem summa haec felicitas nostris operationibus, cum disciplina instituti fuerimus, aut etiam natura excellens & heroica eò nos compulerit, licet summum & diuinissimum bonum sine Deo nemini obtingat.*

47. *Fortuna verò tam nobile bonum committere periculosum est, praesertim, cum actionibus illud produci posse videamus, quae non in fortunae nutu, sed nostro arbitrio collocatae sunt.*

48. *Hinc sequitur corollarium, cum felicitas per nostros labores acquiratur, quod nec in bruta, nec in infantes cadat, imò nec in iuuenes, qui praeterquam, quod appetitum suum in solidum edomare nequeunt, etiam vitae suae modum nondum habent, adeoq; in senectute facile malum magnum incurrunt, quod ipsorum felicitatem, si non suffocat, saltem obscurat & imminuit.*

49. *Sed*

49. Sed hinc non abs re dubitari potest, an, quod Solon dixit: dici ^{C. 10.} beatus ante obitum nemo supremaq; funera debeat. Nam si, quae in vitam incidunt mala, felicitatem diminuunt, nemo ex amissim felix erit, nisi, qui omnes fortunae impetus enauigauit, strepitumq; Acherontis auari subiecit pedibus.

50. Absurdum autem fortasse fuerit, defunctum, propterea, quod mortuus sit, beatum dicere, quia neq; id Solon voluit, neq; rationi conuenit. Nam felicitas in operatione consistit, quae post obitum cessat: Et sicut mala in absentem, ita & posterorum infortunia in mortuum aliquo modo redundabunt.

51. Est igitur Solonis sententia mortuum tuto felicem predicari, quia feliciter vixit, nec amplius infortunio obnoxius est. Sed si mortuus propter praeteritam felicitatem beatus reputatur, quare non beatus saluari possit, tum, cum ipsi felicitas insit?

52. Nam summum bonum stabile est, in quod manca ruit semper fortuna, quod à leui infortunio loco non mouetur. Scientiae enim sunt res stabiles, quas obliuio non facile exedat: at virtutes tantò tenacius conseruantur, quanto sapius eas reficit vir probus & animo altius infigit.

53. Fortuna enim in felicitatem potestatem non habet, cum eius essentia extra fortunam consistat, ideoq; ab ea non varietur, nisi extrinsecus: imò si leuiter insultauerit fortuna, nondum felicitati derogare potest: si n. audacius saeuat, ut in Priamum, summum felicitatis gradum quidem imminuit, non autem omnino abolet.

54. Vir enim bonus & virtute praeeditus, quadratus debet esse, vel ut Poëta loquitur, totus teres in se & rotundus, qui non tantum in secundis rebus optime se gerat, sed & aduersis animosus appareat, virtutisq; radios de se spargat.

55. Concessimus haec Soloni, malum mortuos non tangere, ^{C. 11.} quod tamen omninò verum non est. Licet enim leuius tangerentur mortui calamitate posterorum, quam viui, aliquo modo tamen, sicut in absentes, ita & defunctos redundare videtur, quod posteris euenit.

56. Tale

C. 12.

56. Tale igitur est summum bonum, quod propter suam nobilitatem etiam laude superius est, soloq; honore persequendum. Nam quod laudamus proprie, propter superius quoddam, ad quod ordinatur, laudamus. Sed sicut Deus finis omnium rectissime adoratione honoratur: ita summum bonum, licet nequaquam adorandum, honore tamen afficiendum est, quem sibi propter seipsum vendicat.

57. Nunc ad media inuenienda transgredi conueniens esset, nisi de subiecto pauca dicere restaret. Sicut enim Logicus suum subiectum, Medicus item & quiuis artifex suum *παχυλῶς ἢ τόπων* praenoscere debet ita & Ethicus.

C. 13.

58. Inuenitur autem in homine anime pars omnino irrationalis, vegetatiuam dico, plantis communem, quae summae felicitatis capax non est, quia in somno, quando probus ab improbo non discernitur, maxime operatur. Huic succedit altera, quam ex se rationem non habere docet repugnantia cum ratione, admittere tamen rationem, arguit illius sub rationem subactio: Et tandem ultima pars ea est, quae rationem in sua essentia includit.

59. Cum igitur duplex sit facultas rationis particeps, quae illam ex se habet, virtutibus intellectiuis perficitur: quae illam aliunde accipit moralibus, ut ita ad distinctionem subiecti virtutes commode distribuantur. De quo in processu.

FINIS.



99 A 6909

ULB Halle

3

003 931 315




Sb


VD 17

Reho

Hi. 69.







B.I.G.

Farbkarte #13

4

AVSPICIIS SUMMAE TRI-
NITATIS.

**DE SUMMO
BONO,**

Quod nobis in humana societate
obtingere natum est:

*Diuinam Aristotelis doctrinam, in 1. Eth. ad
Nicomachum explicatam,*

SVB PRAESIDIO
M. HENNINGI ARENTSEHE
pro ingenij viribus defendendam
fufcipiet

*In Iulij Iulia
die 10. Decemb.*

IACOBVS VVEISE VVernigerod.

HELMMAESTADII
Typis Iacobi Lucij. Anno

C1D. 1DC.